

(1268) 1269, març, 8

Pere de Sala de Mont, de Toralles, ven a Bernat de Regats, de Sant Miquel de Pera, la tercera part d'un molí que té al riu Llierca, per 28 sous.

ASD núm. 201, còpia de 1327, 405 x 275 mm.

Hoc est translatum fideliter sumptum octauo kalendas madii anno Domini millesimo trecentesimo uigesimo septimo a quodam instrumento cuius tenor talis est. Notum sit cunctis quod ego Petrus de Sala Damont, de Saulonelles de parochia Sancti Martini de Torayes et filius meus Petrus et uxor mea Pereta, nos pariter per nos et per omnes nostros qui sunt uel unquam erunt, bono animo et spontanea uoluntate et causa utilitatis nostre ac nemine cogente uendimus et titulo perfecte et perpetue uendicionis semper ualiture tradimus et deliberamus in presenti tibi Bernarda, mansi Bernardi de Ragatis de parochia Sancti Michaelis de Piru et uxori tue Ermessendi et uestris omnique uestre progeniei et posteritati in perpetuum totam iilam nostram partem, scilicet tercium quod nos habemus in toto illo molendino Coliuel quod est in flumine de Lierca ante Regades uersus meridiem, quod quidem molendinum habemus tercium et .tercium cum Berengario de Boscho de Torayes et Berengario de Casadamont de Ragades. Predictam siquidem meam terciam partem quam in dicto molendino Coliuel habemus qualicumque iure uel modo, tam in monario et molis et ferradura et rego et cabias et resclosis et resclosariis et aqueductibus et reductibus et cloacchis et glebis et glebariis et lignis et sarpis, quam generaliter cum omnibus aliis suis necessariis, cum ingressibus et egressibus suis et cum uniuersis suis adempamentis et cum omni proprietate et integritate sua et cum omnibus suis melioramentis et augmentis ibidem factis et de cetero faciendis in quantum est de nostra parte, uendimus uobis et uestris semper ad tenendum et habendum et perempniter possidendum in pace et quiete sine impedimenta ullius uiuentis persone, prout melius et utilius ac prout sincerius dici uel intelligi siue etiam excogitari potest ad omnem uestrum uestrorumque bonum et firmum intellectum et utilitatem, ad omnes uestras uestrorumque uoluntates ibi et inde perpetuo faciendas, saluo in omnibus et per omnia iure domus Sancti Iohannis et domini abbatis eiusdem in perpetuum, et saluo iure domus Sancti Danielis Gerunde in quantum est ibi de suo dominio uel senioratico et Berengarii de Cistella, clerici Gerundensis manumissoris testamenti domine condam Beatricis de Mediniano. Et accepimus a uobis precium huius uendicionis ad bonum et utilitatem nostram uiginti et octo solidos ternalis monete barchinonensis, de quibus confitemur a uobis nos bene esse paccatos, renunciando excepcioni peccunie non numerate. Similiter renunciamus quantum ad hec predicta omni excepcioni doli et metus et accioni in factum et restitutioni in integrum, et expresse, scienter atque consulte, beneficio et auxilio illius legis per quam deceptis ultra dimidiam iusti predi subuenitur et omni alii legi et iuri scripto et non scripto et omni consuetudini et priuilegio condito et condendo quod nos uel nostros contingerit in futurum predictae uendicioni contraire posse. Et si plus ualet dicto precio, illud plus totum damus et remittimus uobis et uestris semper in donacione inter uiuos, nullo alio iure ibi nobis uel nostris unquam retento uel obseruato, nisi tantum quod uos et uestri dabit is inde semper nobis et nostris in festo Natalis Domini annuatim pro censu unam gallinam recipientem et non

aliud, et iste census sit semper in adiutorium census nostri quem nos facimus domino abbati Sancti Iohannis antedicto. Et quocienscumque uos uel uestri uolueritis possitis semper dictum molendinum transmutare inferius uel superius in loco magis conuenienti. Unde ad maiorem atque firmiorem uestri uestrorumque semper securitatem, nos omnes uenditores predicti iuramus in Deum et eius sancta .un.or Euangelia sponte et corporaliter tacta totum hoc predictum semper uobis et uestris fideliter attendere et obseruare et numquam contra predicta uenire occulte uel manifeste aliquo iure quolibet modo uel racione, instituentes nos et nostros semper uobis et uestris de omni integra euictione et interesse omni tempore teneri. Et nos et nostri erimus inde semper uobis et uestris legitimi auctores et in iure defensores de omni homine et faciemus uos et uestros semper tenere et habere et in pace possidere ipsam terciam partem dicti molendini ut dictum est contra cunctos, saluo iure dictorum dominorum ut superius continetur et hec predicta firma semper maneant et nulli hominem ea unquam infringere liceat uel corrumpere.

Actum est hoc .vm. idus marcii anno Domini .MCCLX. octauo.

Sig+num Petri de Sala Damont predicti, sig+num Petri filii eius, sig+num Perete uxoris eius, qui omnes predicti hoc iurando laudamus et firmamus. Sig+num Arnalli de Sala Daua.

Sig+num Arhalli de Pineta de Torayes. Sig+num Petri Gig de Brucezenes Daua de Piru, huius rei testium. + Berengaria, Dei gra tia Sancti Danielis abbatissa. Sig+num Guilielmi de Pomerio, baiuli de Turayes, qui hoc laudo et firmo, et habui inde ius mee retrodecime et dicti domini habuerunt inde suum de suo foriscapio.

Raimundus de Espinalbo, publicus scriptor Bernardi Uitalis, domini castri de Bestracano, qui hoc scripsit et hoc sig(s. man. )num interposuit, die et anno quo supra, et licet in utroque instrumento uendicionis contineatur .r. gallina inter totum, non est neque erit nisi una gallina censualis, neque instrumenta ipsa non habent uim neque locum unius instrumenti quare propter firmas dominorum predictorum habent sic scriptum.

Sig(s. man.)num Bernardi de Ponte, qui hoc translatum fideliter scripsit. Ego Raimundus de Prato, publicus notarius Sancti Petri de Bisulduno, qui hoc translatum cum originali suo fideliter comprobaui, subscribo (s. man.).